



NECROLOGIA



† R. P. Franciscus Brennan (1895-1950)

(*Prov. Balt.*)

Hic «dignus filius magni illius Sancti, pauperum amatoris, qui primario loco pro animabus opis spiritualis magis egentibus laboravit»¹, origine Neo-Eboracensis, sedecim annos natus in nostrum iuvenatum North East ingressus est et duodetriginta annos natus ab Emo Archiepiscopo Patricio Hayes indelebili sacerdotii charactere signatus.

Exinde ut bonus dispensator mysteriorum Dei ubique totum sese animabus dedit, ac primum quidem in difficulti Missione Portoricensi, adscriptus domui Caguas et postea primus Superior novae domus Aguas Buenas; tum ultra quadriennium in duabus communitatibus Provinciae matricis, Baltimorae ad S. Iacobi et Pittsburghi, tandem, inde ex Maio 1939, in «diaspora» Statuum meridionalium, ubi per duo triennia fuit Superior domus Tampa, Florida, et per ultimos quinque annos Consultor Provincialis in domo Richmond, Virginia.

Virtus magis eminens P. Francisci Brennan erat cordis bonitas. Sive agebatur de confratre angustiato, sive de religiosa labore oppressa, sive de pauperibus albi nigrive coloris: cor huius sacerdotis omnibus patebat et unicuique pro viribus opitulabatur. Id eloquenter attestabatur illa muliercula nigrita, ab eo olim in vera religione instructa, quae ad eius funus attulit coronam suis manibus ex sempervivo confectam, simul per lungas horas ibi preces fundens; item tot parvuli nigri ei mortuo amoris tributum solventes. Et ingens numerus octoginta sacerdotum, in illa «dispersione» Richmondiensi funus eius cohonestantium, nonne clare indicabat morte nobis ereptum esse sacerdotem secundum cor Dei?

P. Brennan suum annum quinquagesimum quintum non potuit completere. Saepe infirmabatur, sed infirmitates suas tanta patientia tolerabat, ut medici mirarentur. Vespere 29 Ian. 1950 confratri se in nosocomio Richmondiensi invisenti tristis dicit: «Per tres menses Missam non cele-



¹ C. SS. R. Chronicle, vol. 3, p. 48.

bravi! » Iam in sequenti meridie parva operatio chirurgica, apparenter omnis periculi expers, adeo ut chirurgus de ea nostratres ante non moneret, subitaneam attulit mortem cum omnium confratrum et amicorum stupore et moerore.

Defuncti soror postea Patri Provinciali Frawley impensas gratias egit, quod confratres fratri suo aegrotanti curam talem impendissent, qualem ne mater quidem meliorem dare potuisset. Singulari quoque sibi solacio fuisse illud dictum: « *Frank lived in Heaven on earth* » (Franciscus, degens in terra, vivebat in caelo). Religiosus autem, qui in suo Instituto invenit suum paradisum terrestrem, bonus religiosus sit necesse est.
